



~~Das Jr.~~

~~R~~

32

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
**JO. PHILIPPUS**  
**S**treit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSSI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM  
*ad L. Princeps. 31. ff. de leg. Senat. Consult. & long. consuetud.*

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

AD DIEM XXIII. NOVEMBR. MDCCXXXV.

LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

---

ERFORDIAE,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.



\*\*\*\*\*

**D**um Ulpianus libro decimo tertio ad Legem Julianam & Papiam ait: *Princeps legibus solutus est.* De propriis legibus is loquitur, quod enim teneatur legibus naturalibus & civilibus certum est. De propriis proinde legibus solum quæstio est & difficultas. Quo ad has multorum est persuasio, Principem seu Legislatorem suis legibus non quidem vi coactiva, quæ transgressorum pœnæ temporali reddit obnoxium. Sed tamen directiva, quæ conscientiam obstringit, eum teneri. Ast verius est legislatorem ipsum lege à se aut antecessoribus suis lata, quâ tali, neque quoad vim coactivam, neque directivam obligari. Princeps enim supremus, de quo loquitur Ulpianus, non agnoscit in terris superiorem à quo puniri possit, non igitur tenetur vi legum suarum cogente, impositio enim pœnæ, supponit ex parte infligentis jus superiorius, quod repugnat respectu supremi Principis, seu nullum adest principium, quod ipsum obliget, nec legem sibi

sibi sed subditis præscripsit, ex natura jurisdi-  
ctionis ad inferiorem tendentis. Adeò ut ne  
quidem teneatur vi legum suarum dirigente,  
directè, per legem intentâ, non enim id agit  
ut se, sed ut alios obstringat. Et cum mate-  
ria, de qua lex positiva fertur, in se, extra illius  
legis dispositionem, sit indifferens, non potest  
dici peccare principem qui secus agit, ac le-  
ges civiles, quas nemo ipsi præscripsit, jubent.  
Nec recta ratio dicit, ut princeps subditis suis  
in iis se conformet, quorum observantia non  
decet statum, ac dignitatem principis. Quan-  
do verò lex respicit materiam principi & civi-  
bus communem, tenetur Princeps lege suâ sal-  
tem indirectè ex quadam decentia & honesta-  
te naturali. Quamvis enim nemo possit sibi  
ipsi obedire, vel subditus esse, ratio tamen na-  
turalis præscribit, ut quas leges quis condit,  
eas observet, ne illas non observando suspe-  
ctas, duras & odiosas reddat ipsis subditis, Kö-  
nig ad *Decretales de Constat.* n. 10. & plures alii.  
Hinc digna vox majestate imperantis esse dici-  
tur, legibus alligatum se profiteri, nihilque ma-  
gis imperio principis convenire creditur, quam  
leges, à quorum vinculo videtur immunis, fer-

vare L. 4. Cod. de Leg. Ideò Plato lib 4. de  
Legib. scripsit, paratum se exitium illi civitati  
videre, in qua non lex Magistratibus domina-  
tur, sed legi Magistratus præsunt, salutem verò  
illi, ubi lex servientibus dominatur. Deinde  
cum heredes instituuntur, Imperator seu Au-  
gusta, jus commune cum cæteris habent, quod  
& in codicillis, & in fidei commissariis epistolis  
præscriptis observandum. Et Divus pertinax  
oratione suâ in Senatu habitâ, inter cætera ex-  
pressit & illud ; non admissurum se hereditatem  
illius, qui litis causâ principem reliquerit here-  
dem. §. 8. instit. quib. mod. testam. infirm. Ne-  
que hoc tantum, sed generaliter dicit ; Se ne-  
que tabulas non legitimè factas, in quibus ipse  
ob eam causam heres institutus erat, probatu-  
rum : neque ex ulla scriptura, cui juris auco-  
ritas desit, aliquid adepturum. d. §. 8. Quæ  
constitutio licet in corpore non exstet, refert  
tamen verba illius Myingerus dict. §. 8. ad-  
ditque : Sanctius est P. C. innoperi rempu-  
blicam obtainere, quam ad divitiarum cumu-  
lum per discriminum atque dedecorum vestigia  
pervenire. Extat constitutio similis in lege  
Eximperfecto 3. Cod. de testam. in quâ Impera-  
tor

tor Alexander ait : *Ex imperfecto testamento,*  
*nec imperatorem hereditatem vindicare posse,*  
*sæpe constitutum est.* Est & hujus sententiae  
Paulus in L. 20. de legat. 3. ubi ait: *Ex imperfecto testamento legata vel fideicomissa Imperator vindicare inverecundum est.* Decet enim  
tante majestati eas servare leges, quibus ipse so-  
latus esse videtur. Unde recte Theodoricus  
Rex Gallorum apud Goldast. Tom. 3. constitut.  
imperii 33. Licet, inquit, potestati nostræ Deo  
favente subjaceat omne, quod volumus, vo-  
luntatem tamen nostram de ratione metimus,  
& istud magis aestimamus elegisse, quod cun-  
ctos dignum est approbare. Huc etiam re-  
spexit Seisellius lib. i. de Republ. Gallor. dicens;  
*Si Reges quidvis possent non multo Deo essent*  
*imperfectiores, & sicut Deus ipse non idcirco,*  
*quia peccare non potest, minor est seipso, sed eo*  
*admirabilior sit & illustrior ipsius perfectio &*  
*potentia, sic & Reges, cum suis ipsis legibus ob-*  
*temperant, ad salutem spectantibus, multò ma-*  
*jorem laudem merentur, quam si ex arbitrio &*  
*voluntate omnia gerant.* Unde Antigonus Ma-  
cedonum Rex cuidam dicenti, omnia Regibus  
honesta esse, sunt per Jovem, inquit, Barbaro-  
rum

rum duntaxat Regibus, at nobis duntaxat ea  
honesta sunt, quæ honesta, & ea tantum iusta.  
Plutarch. in Apoph. tom. 3. pag. 336. Ex quibus  
& aliis inferunt Godofred. ad Novell. 105. prin-  
cipem legibus solutum non esse, sed potius eis  
subesse. Vasq. Controvers. illustr. lib. 1. cap. 1.  
n. 22. statuit solutum legibus in iis, quæ levio-  
ris sunt præjudicii, qualia sunt, quæ pertinent  
ad solennia testamentorum, judiciorum &  
contractuum. Cujacius Observat. lib. 15. cap.  
30. legibus caduciariis duntaxat Julia & Papia  
tanquam per se satis odiosis principem absolvit.  
Zasius in L. princeps n. 2. ff. de leg. Philo-  
sophi sententiam tuerit, vult enim in Repu-  
blica bene ordinata cives quadam æqualitate  
censeri, ut & regant & regantur, tutiusque se-  
cundum virtutem vivant; de quâ materia in  
lectione cursoria occasione L. Princeps. 31. ff. de  
Leg. Senat. consult. & long. consuetud. differet

NOBILIS ET CLARISSIMVS  
DN. JOANNES CHRISTIANVS  
ZIMMERMANNVS,

Natus Doebleæ X. Maj. M DCC VII. Patrem  
superstitem veneratur Dn. JOANNEM CHRI-  
STIA-

STIANVM ZIMMERMANNVM, p. t. Consulem Dœbelensem, Matrem habet ANNAM DOROTHEAM, B. Dn. JOANNIS NAVMANNI Mercatoris filiam, piè defunctam. His suis Parentibus post Deum gratias agit, quod non solum corporis sui, & potissimum animi rationem habuerint, & à teneris annis liberalibus artibus imbundum curaverint, & in Scholam, quæ Portæ floret, miserint, ubi per sex ferè annos solidioris doctrinæ fundamenta posuit, postea celeberrimam Musarum sedem Wittembergam adiit, ubi per Triennium celeberrimorum Dominorum Professorum juris, LEYSERI, MENCKII, WERNERI & STRUVII Collegia frequentavit. Porrò Lipsiæ Collegiis Dominorum, GRIBNERI, RIVINI & KOESELISSI per annum interfuit. Reliquum vitæ suæ tempus partim in præfectura Muhlbergensi, partim in patria in praxi se se exercendo, impendit. Tandem à Facultate juridica hujati ad consuetum examen rigorosum Doctorandorum admitti decenter petiit, admissus textus ex utroque jure assignatos accurate resolvit, seque tam firmum ac fundatum in arte juris ostendit, ut unanimi consenserunt.

su eidem ad honorum Academicorum gradus  
ritè capessendos publica cathedra aperta fuerit,  
in quâ proximâ die Mercurii, quæ erit XXIII.  
Novembris, lectionem *ad d. L. Princeps.* ea-  
que finita Disputationem inauguralem

DE  
**OBSERVANTIA STATVTO-**  
**RVM MVNICIPALIVM IN MVNI-**  
**CPIIS NON PROBANDA**

habebit. Ad quos actus solennes Magnificus  
Dominus Rector cæterique Domini Proceres  
& Cives Academicci invitantur. Publ. sub Sigil-  
lo Facultatis Jurid. XX. Nov. M DCC XXXV.



L.S.





154562

ULB Halle  
005 372 046

3







FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
**JO. PHILIPPUS**  
**S**treit, J.U.D.  
EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,  
AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM  
*ad L. Princeps. 31. ff. de leg. Senat. Consult. & long. consuetud.*  
ET  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
AD DIEM XXIII. NOVEMBR. M DCC XXXV.  
LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

---

ERFORDIÆ,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.